



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 191. Et duxerunt eum ut crucifigerent. v. 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

maiolem illusionem, confusionem, & mortificationem ut sic agnosci possit ab omnibus omnium nationum populis qui tum Hierosolymas venerant ad diem solemnem paschæ & eum ante in sua veste viderant, ut nunc viderent eum tanquam reum mortis & à Pontio Pilato præside condemnatum, qui ob corporis deliberationem & faciei benedictæ deformationem agnosci non poterat esse qui fuerat.

O Vestes benedictæ, vestis salutis qui tangitis nunc sanctum corpus Domini, & tegitis pudorem eius, quantam virtutem ab eo benedicto corpore hauritis? novit id pia illa mulier quæ 12. annis sanguinis fluxum passa dixit: ô si vel vestimentum eius tetigero salva ero, tetigit & salvata est. Adorantini igitur merito hodie, & populi ut vos, ô vestes divinæ, videant properant de pagis, de civitatibus suis, relictis liberis, uxoribus, domibus, & per æstum & deserta deurrunt lætantes, & cum gaudio revertentes. Hi cum muliere illa hæmorossa norunt & experiuntur virtutem, non simbriæ tactæ, sed speciei etiam inter videndum oculis suis impressæ ab illo sancto obiecto Dominicæ togæ; huius ergo mulieris obsecro Domine ego fluxu passionum vitiosarum imbecillis & patiens non modo 12. annis sed & 20. 30. 40. & amplius vestigiis insistam, tangam te, mi Iesu, & si Togam tuam nequeo tangere, quam tibi inconsultem mater effecit, Treviris servat, tangam tamen vestimenta sua eucharistica seu species panis, sub quibus corpus tuum vere continetur.

§. 191. *Et duxerunt eum ut crucifigerent. v. 31.*

Ubi sententia Iudicis? ubi allegata & probata contra Iesum? ubi rei confessio? tacet de his omnibus Matthæus Evangelista, quasi velit insinuare, nulla talia exstare vel fuisse sed solum dicit: *Et duxerunt eum ut crucifigeretur.* Implent impii agricolæ Domini vaticinium; *filium patris heredem & vinea sua eijciunt.* Matth. 21. Impletur figura hirci Levit. 16. qui pro peccato immolabatur, is enim extra castra quidem cremabatur, sed intra Civitatem sanguis ejus in tribus locis fundebatur: nam ipso aspergebatur Tabernaculum interius, & sanctuarium exterius, & Altare. Ita plane Dominus Iesus pro peccatis omnium diluendis sparsit sanguinem suum in Civitate tribus locis: in domo scilicet Caiphæ, extra prætorium Pilati ad palum, & in prætorio spinis coronatus. restat igitur solum ut per charitatem cremetur in Cruce, hinc ducitur extra Civitatem. Educitur autem, non ut prædicator veritatis, sed ut prævaricator, ut latro, ut magus, ut seductor, ut blasphemus; clamatur, luditur, rideatur, sibilatur. *Omnes inquit, videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis & moverunt Caput, psal. 21. & iterum, in me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant*

lebant qui bibebant vinum. sic igitur qui suos è Babylone Civitate diaboli & regione malorum in Hierusalem, sanctam scilicet Ecclesiam, introduxit, is nunc eiicitur: qui suos ab inferno ad suam hæreditatem assumpsit, nunc è sua hæreditate exigitur. Verè in propria venit, & sui eum non receperunt.

Quam dissimilis fuit hæc Christi eductio ei, qua olim patres eorum eduxerat de Ægypto, illic enim dicitur, eduxit illos in lætitia, hic autem ipse educitur in summa anxietate & tristitia: illic dicitur, eduxit eos cum argento & auro, hic autem ipse educitur in summa miseria & anxietate: illi ut irent de summa afflictione ad summam lætiam, hic de summa afflictione ad summam afflictionem Crucis: illi de captivitate in libertatem, hic de captivitate ad mortis angustias: illi de labore ad requiem, hic de labore ad ultimum sudorem mortis, illi educuntur ut vivant, hic ut moriatur: illi ut feliciter agant vitam, hic ut ignominiosissime pereat, illi educuntur ad patriam melle & lacte manantem, hic ad patibulum omni acerbitate & crudelitate abundantem ò verè miserabilis eductio!

Ego ò bone Iesu, ò misericordissime Deus propter hanc tuam miserabilem eductionem, & confusionem, etiam atque etiam te obsecro quando anima mea de corporis hoc mei ergastulo educetur, miserere animæ meæ, in egressu suo, & perduc eam non in mortem, sed in vitam æternam, ubi tu amor meus es, vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum Amen.

§. 192. *Exeuntes autem. v. 32.*

Milites scilicet, & populus curiosus, & invidi principes Sacerdotum, ac forte ipse Pontifex Caiphas, Annas socer Caiphas, & reliqui de Concilio, Scribæ & seniores, omnis natio, & lingua: mulieres, virgines, iuvenes & seniores: Carnifices quoque tenentes dirè ligatum Iesum sub Cruce, & ducētes, vel trahentes potius extra Civitatem, versus montem in cuius parte Deus olim præceperat Abraham sibi filium suum primogenitum offerri, qui tunc erat Calvarie locus ob multitudinem ossium mortuorum, qui in eo ex sententia Iudicum variè passi fuerant, ut & ibi offerretur filius Dei primogenitus Deo patri, sacrificium cruentum pro peccatoribus omnibus redimendis. Et benè extra civitatem patitur, qui pro omnibus mori dignabatur, ut ab omnibus ejus mors vita & resurrectio audiri, credi, & per consequens bona voluntate, eum sequentes possent salvari. Hinc bene Chrysostronus in sermone de Passione Domini. *Non voluit Dominus pati sub tecto, non in templo Iudaico, ne putares pro illa tantum plebe oblatum, & ideo extra Civitatem foras muros, ut scias sacrificium esse commune, quod totius terra est oblatio, quod communis est purificatio.*

ò Iesu